

atque adeo aeterna sit; sequitur existentiam quoque entis infiniti aeternam esse.

CCXXXVII. *Si duo entia infinita existunt, existunt hoc ipso entia infinita numero infinito.* Si duo entia infinita existunt hoc ipso, duo entia infinita possibilia sunt (§. 50.), sed si duo entia infinita possibilia sunt, sunt hoc ipso entia infinita numero infinito possibilia; nam natura, quae per binarium multiplicari potest, nihil in se continet, quod ejus multiplicationi obstet, ac proinde, per quemvis alium numerum sine fine multiplicari potest: ergo si duo entia infinita existunt, hoc ipso entia infinita numero infinito possibilia sunt atqui si entia infinita numero infinito possibilia sunt, hoc ipso entia infinita numero infinito existunt (§. praec. cor. 1.): igitur si duo entia infinita existunt, existunt hoc ipso entia infinita numero infinito.

CCXXXVIII. *Duo entia infinita existere nequeunt.* Existunt enim vero duo entia infinita, existunt itaque hoc ipso entia infinita numero infinito (§. praec.); atqui hoc vehementer absurdum est; praeterquam enim quod numerus realis infinitus repugnat (§. 219.), ne unus quidem maxime superstitiosorum idololatrarum eo insaniam pervenit, ut Deos, id est entia infinita numero infinito existere putaret: ergo duo entia infinita existere nequeunt (conf. §. 114. sch. 1.).  
*Coroll.* Existit igitur ens infinitum, necessarium, aeternum, independentens, perfectissimum, ac unicum; Deus denique, cujus honori primum institutionum metaphysicarum liber dicatus sit.

Finis Ontologiae.

## LIBER II. COSMOLOGIAM.

### PROLEGOMENON.

QUID COSMOLOGIAM?

I. *Cosmologia* notiones generales, quae huic, aliisque mundis possibilibus competunt, examinat (ont. §. 2.): recte igitur scientia mundi in genere appellatur. Notiones porro has a mundo hoc praesente abstrahendas esse per se manifestum est.

QUAE ILLIUS PARTES?

II. Quae huic mundo conveniunt, ac in metaphisica attentionem merentur, vel ad illius existentiam, vel ad perfectionem, vel ad naturam, ejusque leges pertinent. In tres igitur sectiones tota haec pertractatio congrue distribuitur.

*Schol.* Primum doctrinam de mundo in artis formam redegit, et systemati metaphisico inseruit Christianus Wolfius; quam ob rem ipse se se in sua ad cosmologiam praefatione satis dilaudat. Quod autem ad utilitatem hac ex disciplina hauriendam attinet: ea omnium facile princeps est, quod per illam in claram potentissimam juxta, ac sapientissimi Conditoris cognitionem deducamus, qui omnis philosophiae finis est nobilissimus.

### SECTIO I.

#### DE MUNDI EXISTENTIA.

QUAE HUIUS SECTIONIS SUMMA?

III. Cum de existentia mundi disserendum est, res ipsa postulat, ut primum nonnullis de ejus notione generatim praemisissis, inquiramus, quam ipse ratione existentiam obtinuerit: tum utrum fato cuidam subjiciatur cum ipse, tum res mundanae; denique cum praecipuas mundi, de quo agimus, partes corpora constituant, generales eorum proprietates, et ex quibus eadem coalescunt, elementa investiganda veniant. Et totius sectionis summam.

*Schol.* De mundo nempe corporcosolum, sive *materiali* in haec metaphisicas partes tractandum est: quod ad substantias spirituales quae mundum, ut ajunt, *intelligibilem* constituunt, attinet, earum pertractatio proprium in psychologia locum habet.



## CAPUT I.

## De notione Mundi Generatim.

## QUID NEXUS RATIONE SPATII, ET TEMPORIS?

IV. Si *a* continet rationem, cur *b* ipsi vel coexistat, vel succedat, *b* continet determinationem sine *a* non possibilem; igitur *a*, et *b* connexa sunt (ont. §. 60.). Priori in casu nexum dicunt esse *ratione spatii*; est enim spatium ordo simultaneorum coexistentium in serie physice continet (ont. §. 201.); in posteriori vero *ratione temporis*, cum tempus sit ordo successivorum (ont. §. 211.). Si porro *b* continet rationem, cur *c* ipsi vel coexistat, vel succedat, erit similis nexus inter *b*, et *c*, et sic deinceps. Ex hoc autem sequitur *a* quoque cum *c* connexum esse; quae enim cum uno tertio connexa sunt, inter se quoque connecti manifestum est (conf. ont. §. 75.).

V. Ponamus existere serie entium connexorum, *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, erit *a* cum *b*, cum *c*, cum *d*, cum *e* cum *f*; et *b* cum *c*, cum *d*, cum *e*, cum *f*; item *d* cum *e*, cum *f*, connexum. In serie igitur entium connexorum quodlibet ens cum quovis alio in eadem serie connectitur.

Coroll. 1. Igitur et plures series, quae ex entibus inter se connexis constant, connexae esse possunt; si modo aliquid ens ex una serie cum aliquo ente alterius serie connectatur.

Coroll. 2. Possibilis proinde est series, quae ex pluribus seriis entium connexorum inter se connexis componatur.

## QUID NEXUS PER CAUSSAS FINALES, ET EFFICIENTES?

VI. Si quae ratione spatii inter se connectuntur, ita constituta sint ut unum sit propter alterum, sive si ens intelligentia instructum unum ordinet, ad alterum, ea connectuntur per *causas finales*; est enim finis, propter quod causa efficiens agit (ont. §. 158.). Si connexorum ratione temporis alterum in actione praecedenti rationem suae existentiae agnoscat, ea connectuntur per *causas efficientes*; est enim causa efficiens, cujus causalitas in actionem consistit (ont. §. 144.).

## QUID MUNDUS?

VII. *Mundus*, seu *universum* est serie composita ex pluribus seriis entium per causas tum finales, tum efficientes connexorum quae, alterius seriei pars non est.

Coroll. Omnia igitur hujus mundi entia inter se connectuntur, itaque inter se locantur; ut unum continet rationem, cur alterum eidem vel coexistat, vel succedat.

Schol. Definitio haec communis est, convenitque tam mundo huic existendi, ac sensibus nostris obvio, quem propterea *aspectabilem* dicimus, quam omnibus aliis possibilibus, quos dari certum est, cum id genus series connexae nequaquam repugnent. Conformatur autem abstractione proprietatum maxime generalium, quae nemini tantillam attentionem adhibenti non possunt non esse notae.

Profecto contemplantes universam hanc mundi machinam non prope intuitu detegimus quam plurima entia simultanea, solem, terram, reliquosque planetas, ac stellas fixas, eaque inter se ita constituta, ut unum alteri inserviat, quemadmodum id elucet ex iis, quae sol telluri nostrae praestat, quemadmodum id elucet imperitendo, ardebo frigus etc. Idem in telluris nostrae partibus non minus conspicuum est, ut adeo de nexu per causas finales dubitari nequeat. Continua deinde entium successio, cui ignota esse potest? nonne series est haud interrupta generationum in plantis, belluis, hominibus? nonne experientia quotidiana docet, res omnes mutabiles, ac contingentes esse quae propterea causa effetrice egeant (ont. §. 155.)? Igitur nec minus palam est dari in mundo nexum per causas efficientes. Quare non est, cur allatam mundi definitionem probare quis teneat; neque vero ultima verba otiose adjecta sunt; ea enim notat seriem hic intelligi, quae ex entibus omnibus tam praeteritis, quam praesentibus, et futuris, quatenus nimirum ad illorum connexionem pertinent, coalescat, quo ea, quae Langius Wolfio objecerat, refutantur. Vide Baumeisterum. (*Phil. definit. definit. 367.*)

## MUNDUS EST ENS COMPOSITUM.

VIII. *Mundus est ens compositum*. Cum mundus sit series composita ex pluribus seriis entium connexorum (§. praec.), evidens est, mundum esse ens, quod in plura entia, ex quibus certam quadam ratione conjunctis coalescit resolvi potest: sed quod ejusmodi est, est ens compositum (ont. §. 107.) ergo mundus est ens compositum.

Coroll. 1. Essentia igitur mundi consistit in certo nexu certarum partium, id est, in modo quo omnia simultanea, et successiva inter se consociantur (ont. §. 171.).

Coroll. 2. Omnes mutationes, quae in mundo spectabili eveniunt, motu perficiuntur (ont. §. 116.).

## QUID SALTUS ET CASUS?

IX. *Saltus* fit, cum ab uno extremo ad alterum devenitur non transiendo per media. *Casus purus*, aut *fortuna* est rationatum sine ratione sufficiente, aut effectus absque sua causa effetrice.

Schol. Data saltus definitio generalis est, duasque sub se species complectitur. Primam constituit transitus a ratione sufficiente remotam ad rationatum omnia proxima, quod Bohemius (*Cosmol. trans. c. 1. §. 120. sch.*) exemplo hominis super terra nive testa gressu ordinario progredientis, tum saltuam redoutis illustrat: altera est mutatio quantitatis continuae ab una magnitudine ad aliam non transendo per omnes medias ejusdem generis magnitudines, qualis contingeret, si celeritas octo graduum in corpore moto uno momento individuo mutaretur in celeritatem duodecim graduum.



SALUS ET CASUS NON DANTUR IN MUNDO.

X. *Salus, et casus in mundo non dantur.* Evidens quippe est, utrumque pugnare cum nexu, quo omnia hujus mundi entia copulantur (§. 7. cor.). Delinde quod ad priorem aktus speciem: ratio remota non est ratio sufficiens rationali, nisi ope interpositae rationis proximae: rationum proinde ejusmodi foret absque ratione sufficiente, quod universim repugnat (ont. §. 21.). Posterior autem excluditur per legem continentalis, quam in rerum natura extare gravissimis argumentis palam fecit Bosovichjus. (*Diss. de log. cont. et theor. phil. p. 2.*)

*Coroll.* Sublato igitur nexu res in mundo casu, et per saltum evenire possent, atque sic mundus realis transiret in fabulosum, et phantasticum, qualis in somnio apparere solet.

*Schol.* Qui tamen fit, quaerunt hoc loco aliqui, ut per multa casu, et fortuito evenire dicamus? si norint, oportet, fortunam vulgo sonare concursum caussarum minime praevium propter obscuritatem, ait Tullius (*Q. acad. l. 2.*) "ignorationemque caussarum fortuna efficit multa improvisa, nec opinata". Ea nimirum in familiari sermone casu, aut fortunae tribuimus, quae cum minime a nobis aspectabatur, accidunt; quorumque ratio, aut causa efficiens nobis ignota est; re tamen ipsa nihil est, quod ratione sua aut caussa distinctatur: vide Buffierum (*Traité des prént. ver. p. 2. ch. 24. n. 154. Sat. 10.*). Unde patet nomen fortunae in se spectatum, aut relativum ad ens infinita intelligentia praeditum omnino inane esse, et ab nostra solum ignorantia significationem quampiam sortiri, quod juvenalis inuit: "sed te non facimus, fortuna, deam, caeloque locamus". Atque inde fit, ut quo quis plura ignorat, eo ipsi plura casu; et fortuito accidant, ex quo ortum est illud, quod in proverbio dicitur: *ibi parum ingent, ibi plus fortunae*. Quia porro homines ita fere comparati sunt, ut mirari soleant, cum ipsis quidpiam casu accidit; frequens in rebus admiratione insignem testatur ignorantiam, et quo quis sapientior est, eo pauciora admiratur.

DE NEXU ENTIIUM ORDO UNIVERSALIS. — ET SAPIENTIA CONDITORIS ELUCET.

XI. *Enexu entium mundanorum universali quidam ordo nascitur.* Cum omnia entia mundana et per causas finales, et per effectrices connexa sint (§. 7. cor.), datur quaedam similitudo tam in collocactione, quam in successione entium mundanorum conspicua, ac proinde ordo quispiam (ont. §. 77.), qui, cum ad omnia entia pertineat, universalis quoque est (ont. §. 81.); igitur et nexu entium mundanorum universalem quemdam ordinem enasci in aperto est.

XII. *Enexu entium mundanorum summa Conditoris sapientia elucet.* Enexu entium mundanorum perfectissima quaedam subordinatio mediorum ad obtinendos fines a Conditore praestituta elucet, ut attendendi perspicuum est; sed perfectissima subordinatio

tio mediorum ad finem opus est summae sapientiae: igitur et nexu entium mundanorum summa Conditoris sapientia elucet.

*Schol.* Praesentis theorematiss veritas clariori in luce constituatur cum de mundi perfectione sermo fuerit.

## CAPUT II.

## De Existentia, et Origine Mundi.

MUNDUS EXISTIT?

XIII. *Mundus corporeus existit.* Sensus enim de corporum existentia nos nequaquam fallunt (*log. §. 177.*). Et profecto, si sensationes nostrae a nulla caussa externa pendeant, qui fit, ut imaginationes nostrae a sensationibus tanto claritatis intervallo recedant? quid enim? an vis illa cogitandi jam mittitur? jam augeatur? an vero, si ipsa quidem immutata perse veret, modo ipsa seque quasi adstringit, et cohibet? modo relaxat, et solvit? ut ait Winklerus (*Cosmol. §. 493.*) Hoc alterum certo fieri nequit: secus enim posset ea, cum liberet, imaginationibus quoque suis cum claritatis gradum tribuere, quod constanter imperit sensationibus, quod cum experientia pugnat; pendunt igitur sensationes nostrae a caussa externa; quae vero illa? nonne corpora, ipseque adeo mundus corporeus?

QUIP TORALEMUS, ET EGOTISTAS.

*Schol.* Qui mundi corporei existentiam inficiantur, solasque substantias spirituales existare putant, *Idealistas* nomen clationem sortiti sunt: horum aliqui longius progressi omnia proprus entia praeter se ipsos, id est, suum spiritum tollunt, *Egotistas* propterea dicti, quorum in numero ad tempus saltem fuisse Cartesium suspicantur nonnulli, quod in meditationibus de prima philosophia de omnibus rebus a sua mente distinctis dubitare voluit; verum hi injuriam facere viro doctissimo mihi quidem videntur. Minus a vero abhorret, quod Pasafius docet (*Orat. de egoismo p. 24.*): Egotistas speciem esse quamdam eorum, qui ceteroquin Malebranchio adhaerent, suaeque dogmata non libris, sed privati solum instructionibus propagare student: referunt Trivoltenses in novellis litterariis sub fine adjectis (*Mémor. de Trévoux de l'ann. 1713. au mois de Mai.*); Malebranchii discipulorum unum aliquem disputationem bene longam cum socio quodam Parisiis habuisse, seriatim mente affirmasse, se solum esse spiritum creatum, ac nihil omnino nec ex spirituum, nec ex corporum genere praeter se extare.

Quod ad *Idealistas* attinet, viam ipsis ad absurdam hanc opinionem Malebranchium stravisse indubitatum est; quam quam et Leibniti, Wolfique harmonia praestabilita eo sine ambagibus deducat, quemadmodum alias demonstrabo. Primus quidem, qui aperte idealismum professus est, videtur fuisse Michael Angelus Fardella Sienus, in ipsius enim logica, quae priori saeculo Venetis lucem aspo-



xit, existentia corporum aperte negatur. Hujus vestigia pressit Gregorius Berkeley Hyberus edito primam Dublini anno 1710. libro de *principiis cognitionis humanae*; tum triennio post dialogis aliquot Londinensibus typis vulgatis inter Hylam, et Philonem, in quibus id unum egit, ut nulla extare, nec extare posse corpora extra spirituum ideas demonstraret. Idem subinde docuit Arthurus Collier Anglus in *clavi universali, sive inquisitione veritatis* Londini annum circiter 1733. edita. Sed vana haec sunt delitantium somnia, nec refutatione digna: quare missis his ad argumentum philosopho dignius traseamus, ac sedulo inquiramus, quam ratione mundus hic spectabilis ad existentiam pervenerit.

MUNDUS EST PRODUCTUS — QUAE OPINIO ARISTOTELIS DE ORTU MUNDI?

XIV. *Mundus eget causa effectricae.* Cum mundus sit ens compositum (§. 8.), necesse quoque est, ut sit ens contingens (ont. §. 173. cor.); sed omne ens contingens eget causa effectricae (ont. §. 165.) igitur et mundus.

*Coroll.* Non est ergo mundus ens improductum, ac proinde extat ens aliquid ab ipso diversum.

*Schol.* Nullum profecto vestigium alienius necessitatis absolutae in hoc mundo elucet; imprimis enim potest is absque contradictione cogitari et non existens, quemadmodum tot alios possibles, nec tamen existentes concipimus; deinde sive totius universi conformationem, sive singulas ejus partes majores, minoresve, sive denique singularem partium formas, aut figuras contempler, omnia videmus arbitraria, neque ulla apparent contradictio in eo, ut ponatur haec vel illa pars deesse, ut cogitentur plures, vel pauciores, majores, vel minores, remotiores, vel viciniores planetae; stellaeque inerrantes: mundus igitur hic ita existit, ut hypothesis de illius non existentia nequaquam repugnet; quod autem tale est, prorsus contingenter existit, necessitas siquidem absoluta, et possibilitas non existendi contradictorie sibi opponitur. Atque sic evertitur impia Aristotelis de mundi aeternitate opinatio; docuit quippe Aristoteles totum hunc, quantum quantus est mundum a nulla causa pendere, sed aeternum esse, ipsoque Deo ab aeterno coexistisse, uno fere hoc nixu principio: *motum non posse esse nisi aeternum*: huic alia subinde adiecit argumenta Proclus magnus peripateticus scholae lumen; sed hunc cum magistro suo egregie refutavit Benedictus Pererius S. I. Videatur Genuensis (*Elem. Metaph. p. 3. p. 37.*). Fuerint quidem non pauci, qui cum Trapezuntino graeco saeculi quinti decimi scriptore Aristotelis causam susceperunt, quorum alii ejus sententiam ita mitigarunt, ut confidenter asserent ex Aristoteli mente mundum a Deo ex naturae necessitate, atque hinc ab aeterno productum fuisse; alii omnem prorsus erroris suspicionem hac in re ab ipso removeare conati sunt; verum actum egerunt utriusque; res enim est nimis quam manifestata, ac doctrina haec praecipuum totius philosophiae Aristot-

telicae caput constituit. Ceteram uti impium hoc dogma avide arripuerunt illi, qui se in aethis profitebantur, ita nullo non tempore ab aliis mentis sanioris philosophis acerrime impugnatum est; quapropter putidissimi mendaciosi res est puerperus aetior, qui velut ex tripode pronunciat, potius enim philosophorum Christianorum aequae, ac gentilium partem omni aetate agnovisse necessariam, ac independentem mundi existentiam, illique eam tribuisse naturam, quae per sese omne initium, ac finem excludat (*Historiae nat. de l'ame. p. 3. l.* Utopiora omne aethis telum extorqueamus, necesse est; ut hoc loco progressum causarum seu essentialiter, seu accidentaliter subordinatarum in infinitum; in quem, tamquam minutissimam arcem, ipsi se conjicitur, expugnemus (vid. ont. §§. 151. 163. sch.).

PROGRESSUS IN INFIN. VI DEP. NON HABET CAUSAM PRIMAM, EST TAMEN ENS CONTINGENS—HABET IGITUR CAUSAM PRIMAM—ET VEL IDEO REPUGNAT.

XV. *Progressus in infinitum non habet causam primam;* est enim videlicet series causarum subordinatarum absque causa prima (ont. §. 151.).

XVI. *Progressus in infinitum est ens contingens.* Opne ens contingens est sibi insufficientis ad existendum (ont. §. 164. cor. 3.); ergo series infinitorum entium contingentium, quorum unum alterum ad existendum determinat, non est aliud, quam collectio infinitarum insufficientiarum ad existendum, atque collectio infinitarum insufficientiarum ad existendum, non efficit unam sufficientiam sicut infiniti zeri non effiunt unitatem: ergo series infinitorum entium contingentium, quorum unum alterum ad existendum determinat, est ens sibi ad existendum minime sufficiens, ac proinde ens contingens; sed progressus in infinitum est reapse series infinitorum entium contingentium, quorum unum alterum ad existendum determinat: igitur progressus in infinitum est ens contingens.

XVII. *Progressus in infinitum habet causam primam.* Omne ens contingens habet causam efficientem, eaque est ipsum ens necessarium (ont. §. 155. cor.); sed progressus in infinitum est ens contingens (§. praec.): igitur progressus in infinitum habet causam efficientem, quae est ipsum necessarium; atque ens necessarium, cum a nulla amplius causa pendeat (ont. §. 105.), est causa omnium omnino prima: ergo progressus in infinitum habet causam primam.

XVIII. *Progressus in infinitum secum ipsopugnat.* Pugnata aperte secum ipso habere, et non habere causam primam; sed progressus in infinitum habet causam primam (§. praec.) et non habet causam primam (§. 15.); ergo progressus in infinitum secum ipso pugnat. *Schol. r.* Deinde nonne, qui ponit progressum in infinitum, ponit causas subordinatas? jam quaeso, causae hae subordinatae habentne causam primam, vel non; si illud? tum habent, et simul non habent causam primam, ipsoque progressus procedit in infinitum, et simul non; si hoc, tum causae subordinatae nulli causae



id est, nihil subordinatur, proindeque sunt simul subordinatae, et simul non. Probe tamen notandum est, hic solum agi de eo in infinitum progressu, quem alibi statuunt, quorum opinione excluditur omnis causa prima, quocumque sensu, vel modo ipsa accipiat, seu extra, seu intra seriem, seu tempore, seu natura prior, alium siquidem progressum in infinitum admittit ii, qui putant potuisse mundum, ab aeterno creari, docent nimirum posse dari seriem causarum infinitam absque prima, quae sit intra seriem, vel ad eam pertineat, non tamen absque prima, quae sit extra seriem, et haec non quidem tempore, sed tamen natura prior; hi alio ex capite infra impugnabuntur; nunc atheorum objectis satisfaciendum.

## SATISFIT OBJECTIS.

1.) Ex eo, inquit, quod quisvis miles non sit sufficiens credendo hosti, non sequitur nec totum exercitum ad id sufficere; item tamen si ens simplex extensum non sit, est tamen compositum ex simplicibus coalescens extensum: igitur neque ex eo, quod singula entia seriei infinitae sint contingenda, sequitur totam seriem infinitam esse contingentem. Ratio paritatis in eo sita est quod a sensu, ut ajunt, distributivo ad collectivum a partibus ad totum argumentari non liceat; atqui huc totum argumentum §. 16. recidit.

2.) Quidquid sit de casibus specialibus, id certissimum est argumentationem a casu distributivo ad collectivum esse legitimam, cum de toto negatur aliquod praedicatum, quod singulis partibus seorsum acceptis nec adaequate, nec inadaequate convenit: cum enim totum sit idem cum omnibus partibus simul sumtis, et quaevis pars sit inadaequate eadem cum toto (ont. §. 66. sch.), fieri nequit, ut praedicatum toti conveniat, quod singulis partibus nulla ratione, nec inadaequate, vel si dici posset, *inchoative* convenit: ita quia quisvis globus signis caret principio vitae, collectio etiam infinita globorum eodem destituitur; vel si ponas infinitam collectionem hominum caecorum, non deprehendes in ea potentiam videnti vel hoc ipso, quod singuli homines ejus collectionis seorsum accepti eadem privati sint. Item prorsus evenit in casu praesente, quodvis ens ponitur contingens, seu insufficientis ad existendum, contingenda autem, seu insufficientia ad existendum nulla ratione, nec *inadaequate* quidem aut *inchoative* est necessitas, aut sufficientia ad existendum, quia ipsi potius contradictorie opponitur: nullo igitur pacto fieri potest, ut in collectione etiam infinita entium contingentium continuatur necessitas, aut sufficientia ad existendum, immo cum collectio essentialis, et naturam entium non mutet, sicut ex duobus entibus contingentibus non fit unum necessarium, ita nec ex infinitis necessitas aliqua extenditur, et ratio est, quia collectio insufficientiarum est collectio negationum sufficientiarum; sed infinitae negationes sufficientiae nequaquam constituunt unam sufficientiam, sicut nec unam affirmationem. Certe, ut praedclare monuit Buffadius qui ex collectione infinita entium contin-

gentium arguit ipsam esse necessariam, et sibi ad existendum sufficientem, nec causa electricae gentem, non minus inepte ratiocinatur, ac qui videns catenaem eujuspiam ex alto pendentis extremum inferius, negaret altero catenaem ejusdem extremo egere, quo retineatur, quod poneret anulos infinitos, quorum alter alterum sustineat. Quod autem ad exempla allata attinet: imprimis tametsi quisvis miles seorsum non habet vires sufficientes ad caedendum hostem, habet tamen jam aliquas vires, atque adeo sufficientiam aliquam *inadaequatam*, seu *inchoatam*; jam vero manifestum est multas vires de se insufficientes constituere posse una vim sufficientem: deinde cum extensio aliud non sit, quam positio partium extra partes, ac multitudinem partium involvat, facile concipi potest, quomodo ex pluribus inextensis juxta se positis, et certo quodam modo coherentibus unum extensum exurgat, quem admodum ex collectione unitatum numerus efficitur, ut nempc unitas, etsi non sit numerus, est tamen initium numeri, ac proinde plures simul numerum constituere possunt: ita simplex, licet non sit extensum, est tamen aliquot extensionis initium, ac ea propter una cum aliis extensum constituit. Denique generatim cum argumentum ducitur a partibus ad totum, rite attendendum est, de quo praedicato sermo sit: alia sunt essentialiter relativa, et a ratione totus, seu partium multitudinem pendunt; alia singulari duntaxat, quae partibus conveniunt; alia denique singulari interne, ac essentialiter sine omni respectu ad totum, seu partes competunt. Quae primi sunt generis, affirmantur de toto, et nequaquam de singulari partibus seorsum, ut *esse extensum*: quae alterius: affirmantur de partibus, quamdiu ratio partis attenditur, non vero de toto ut toto, ubi amplius ratio partis non habetur, ut *esse unum* quae ultimi: affirmantur de toto, et singulari partibus, ut *esse contingens*.

2.) Posita serio causarum infinita, seu, quod idem est, aeterna, tota series foret aeterna, tametsi quodvis ens seorsum non esset aeternum: ergo etiam posita serio causarum infinita, tota series posset esse necessaria, licet quodvis ens seorsum non esset necessarium sed contingens.

3.) *Trans. a. n. cons.* Qui ponit seriem causarum infinitam, ac proinde aeternam, ille in ipsa hypothesisi clare, et explicitè ipsius aeternitatem ponit: eadem contra hypothesisi nec explicitè, nec implicitè involvit necessitatem ad existendum, sed id ipsum in quaestione versatur; quaeritur nempe, utrum, si fingamus seriem aeternam, ac infinitam entium contingentium, eo ipso etiam series haec necessitatem ad existendum habitura sit. Attque haec quaestio non per hypothesisi aliquam, sed validis argumentis decidenda est; est autem validissimum hanc in rem argumentum in eo positum, quod infinitae etiam insufficientiae collectae reapse sint infinita nihil, quae unam adaequatam, et plenam sufficientiam neutquam efficere possunt. *Transmissi* vero antecedens, quia hypothe-



sis ea secum ipsa omni ex parte pugnat; unde series reapse foret simul aeterna, et simul non; primum; quatenus id explicite asseritur: alterum; quia sicut quodvis ens haberet initium existendi; ita tota entium collectio simul initio carere non posset.

3.) Series causarum efficientium sibi subordinatarum absque causa ultima non repugnat: igitur neque series causarum efficientium sibi subordinatarum absque prima: c. p. ideo primum; quia in illa serie cujuslibet effectus potest assignari sua causa sufficientis; sed etiam in hac serie potest assignari cujuslibet effectus sua causa sufficientis: ergo si illud, etiam hoc.

R. c. ant. cons. ad *proh. d. M.* Quia in illa serie potest assignari cujuslibet effectus causa *plane*, et *adaequata* sufficientis c. *M. inadaequata* sufficientis n. *M.* et sic d. m. n. cons. Dispar nimirum ratio est: series causarum absque ultima est ejusmodi series, in qua quaevis causa suum effectum producit ita, ut effectus rursus in causam abeat, novumque effectum edat; itaque sine fine, qua in re nulla proventus est repugnantia; cum enim prima causa ab ente a tota serie distincto existentiam obtinuerit, potest ipsa ut jam existens causa esse plene, et adaequate sufficientis sui effectus, et sic porro. Ab opposito vero cum in serie infinita regredimur, quaevis causa, quae assignatur non est adaequate sufficientis, nisi ut jam existens; existentiam autem a causa proxime antecedente habet, et rursus ab altera, et sic porro in infinitum: quia igitur hoc de quavis causa in serie tali infinita affirmatur evidens est in ipsa serie nullam esse causam ultimam, et adaequate sufficientem. Sit series *a, b, c, d, e, f,* etc. in infinitum; sit *a,* productum ab *b, b* ab *c, c* ab *d,* etc. certum est *b* non produxisse ipsum *a* nisi ut jam existens, sed *b* non fit existens, nisi cum producat ab *c* jam ante existente; igitur ratio plene sufficientis ipsius *a* non continetur in *b,* sed pariter in *b,* pariter in *c* existente; atqui ut *c* existat, necesse rursus est, ut antea existat *d:* ergo ratio ultimo sufficientis ipsius *a* et in *b,* et in *c,* et in *d* continetur. Quod cum semper redeat, tametsi entia infinita accumulata, luculente patet in tota serie causarum contingentium etiam infinita non deprehendi vel unius effectus causam plene, et ultimo sufficientem; sed redeundum tandem esse ad ens necessarium a tota serie distinctum (conf. ont. §. 150. cor. 4.).

QUAE OPINIO STOICORUM, ET PLATONIS DE MUNDI ORTU?

Schol. 1. Qui e veteribus ab refutata. nunc Aristotelis sententia discesserunt, mundumque a Deo factum esse docuerunt, in alium scopulum impegerunt; putantes, materiam saltem, ex qua corpora mundana coalescunt, a se ipsa aeternam existisse. Teste Justo Lipsio (*Physiol. Stoic. l. 1. diss. 4.*) certum obtinuit apud omnes Stoicos dogma, materiam aequae aeternam, omnisque initii expertem esse, ac ipsum Deum. Dicunt, ait Seneca (*Ep. 65.*), ut scis, Stoici nomine, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant; causam, et materiam: materia jacet iners, res ad omnia parata, cessante

„fasi nemo movcat“. Nec deserunt aliarum sectarum philosophi qui hanc opinionem amplecterentur, verum illud in aeternam ab ipsis disceptationem vocabatur: utram materia ab aeterno informis, atque ab omni qualitate, et pulchritudine vacua jaecerit, antequam Deus ad eam disponendam, ac exornandam accesserit; utrum vero qualitates, rerumque formae in ea jam reconditae latuerint, ut divina solum solertia opes fuerit ad eas rite distribuendas; ac in ordinem rationi convenientem redigendas. Hoc alterum Stoici fere cum nonnullis aliis arripserunt; illud Platonem, et Academiae placent (*Timae c. 14.*): „Deus inquit ille, quidquid erat, quod in cernendo, di sensum caderet, sibi assumit, non in tranquillum, quietum, sed inmoderate agitatum, ac fluctuans, itaque ex inordinato ad ordinem reduxit“. Addit deinde, materiae malitiam, ac pervicaciam obstitisse voluntati supremi Numinis, ne talem ex ea faceret mundum, qualem cuperet, mali videlicet omnis, ac vitii expertem. Ex mente igitur Platonis Deus est quidem mundi auctor, non item materiae effector, triaque statuenda sunt verum omnium principia: Deus, materia, idea, quemadmodum docet Alcinoos accuratissimus platoniorum dogmatum interpres (*Intrad. in doctr. Plat. c. 12.*).

MATERIA MUNDI NON EST IMPRODUCTA -- ET SI FORIS, NON POTUISSET A DEO DISPONI.

XIX. „Materia, ex qua mundus corporeus coalescit, non est ens improductum, et necessarium“. Vel enim haec materia est ens compositum, vel ens simplex (ont. §. 170. cor. 7.); si primum; redi superior demonstratio (§. 24. cor.); si alterum, foret materia ens absolute perfectissimum (ont. §. 113. cor.), immutabile (ibid. §. 120.), et denique infinitum (ibid. §. 231.); atqui haec evidenter absurda sunt: manifestum siquidem est, multas materiae realitates deesse, et has, quas habet admodum esse limitatas: ergo materia ex qua mundus corporeus coalescit, non est improducta, seu necessaria.

XX. *Si materia foret improducta, ea non potuisset a Deo in ordinem redigi.* Si materia esset improducta, et hoc ipso necessaria, ea foret absolute ab omni alio ente, atque adeo etiam a Deo independentens (ont. §. 106.), atqui ens a Deo absolute independentens nequit ab eo in ordinem redigi; qui enim hoc fiat si nullum Deus in eam dominium habeat, neque istud in se dominium concedere possit ens perfectissimum? atque hoc adeo verum est, ut ipse Plato illud ex parte agnovit, quae ratio est, cur matriciae pertinaciam Deo restituisse asseruerit: igitur si materia mundana a se ipsa exiitisset, ea nequaquam a Deo in ordinem redigi potuisset.

QUID DE ORTU MUNDI DEMOCRITUS ET EPICURUS?

Schol. Venio ad profanam Democriti, ac Epicuri de mundi origine doctrinam. Duo sunt rerum omnium principia, *plenum*, id est, atomi et *inane* seu vacuum; illae numero: hoc extensione, ac magnitudine infinitum. Atomorum proprietates duae *figura* et *magnitudo*.



modo; tertiam addidit Epicurus pondas, seu impetum interam, quo illae ab aeterno moverentur, quamquam et Democritus antea, observante Aristotele (*De gener. et corrupt. l. 1. c. 9.*); atomum graviorem dixerit, pro ratione nimium mollis, qua altera alteram exsuperet. Figura infinite variat, magnitudo adeo exigua, ut oculis non pateat; soliditas tanta, ut et individuae sint, et pati, aut mutari nequeant. Ita Tullius (*De fin. l. 1. c. 16.*). Atomi hae a se ipsis ab aeterno existunt, et in vacuo infinito perpetuo moventur; motus secundum Democritum unus tantum est generis, obliquus videlicet; verum Epicurus (*Lucret. de nat. rer. l. 2. v. 216. etc.*) praeter ea et directum, et declinatioctum statuit, hincque duplicem esse voluit; alterum in vacuo, cum secus atomi in corporecula coeae numquam possent alterum in corpore animati, ac praecipue humano, unde hominum libertas oriretur, quemadmodum docet Moshemiad in Cudwortham (*yst. intell. c. 5. fin. §. 24.*). Atomi denique aeterno motu in infinito vacuo agitatae in se mutuo impingunt; tuncque vel resiliunt, vel conjunguntur, ac cohaerent, atque hoc collisionum, et agitationum genere totus mundus, omnesque in eo res efformantur: ita quidquid est, aut sit, naturalibus fit, aut factum est ponderibus, et motibus; ut ait Cicero (*Q. acad. l. 1. c. 38.*). Si jam ex Epicuro quaeras, quid negotii mundus Diis aut olim faecisset, aut nunc faecasset? reponet: nihil; Deos in otio residere, et nisi ab omni cura vacuos beatos esse non posse; atomos aeternas fortuito concursu innum in dedito mundo, hincque perituro et alium rursus oriturum, pro ut eae aliter fuerint motae. Impium hoc systema illis arripit hodie, quibus Divina Providentia grave nimium onus videtur.

ATOMI EPICURAE NON EXISTUNT -- NEC, SI EXISTERENT, MUNDUS  
EX IIS ORIRE POTUISSET.

XXI. *Atomi aeternae, et impruductae, non existunt.* Imprimis enim contra pugnant argumenta supra adducta (§. 19.). Deinde sic quoque argumentari licet: vel atomi existunt numero infinitae, vel finitae; at neutrum dici potest; non primum, quod quidem Epicuro placuit; praeterquam enim quod numerus actu infinitus, et extenso realls infinita repugnent (ont. §. 219. 221.). atomi numero infinitae prorsus replevisset spatium actu infinitum: in spatio autem infinito perfecte pleno fieri nequit motus, qui ad affectionem corporum mundanorum requiritur. Sed neque atomi possunt esse numero finitae; cum enim quaevis atomus absoluta necessitate, quae universalis est, nullamque exceptionem admittit, existeret, nulla omnino ratio sufficiens esse posset, cur ea necessitas in numero hoc determinato atomorum, et non potius in quovis alio deprehendatur; absolute certe impossibile est, ut necessitas absoluta ad determinatum quemdam numerum restringatur (ont. §. 114. sch. fin.).

XXII. Tamest: existent atomi impruductae, ex fortuita tamen earum concursione mundus oriri non potuisset. Vel enim omnium

atomorum motus, directio, celeritas aequalis esset, vel inaequalis; sed hoc alterum fieri omnino nequit; cum enim motum haberet ex eadem naturae necessitate, vi cujus existerent, consequens foret, ut, quemadmodum necessitas in omnibus esset eadem, ita in omnibus quoque idem, seu aequalis sit motus, ac proinde etiam celeritas, et directio, quae sola in metu discerni possunt, igitur primum sit, oportet. Jam vero si in omnibus idem esset motus, eadem directio, eademque celeritas, omnes perpetuo eadem celeritate moverentur per lineas rectas, eamdemque inter se distantiam constantem retinerent, quo posito, nulla concussio, nulla cohaesio, nullumque corpusculum inde coalescens possibile foret. Quare tamen si Epicuro atomos impruductas, demus, nequit tamen ex fortuita earum concursione mundus oriri.

Schol. Ridicula est, quam comminiscetur Epicurus, declinatio minima atomorum ex linea recta; rursus enim queri potest, utrum ea in omnibus atomis, omnique tempore aequalis sit, an non? is aequalis statuatur, numquam in se incurrit; si inaequalis, ratio hujus inaequalitatis assignari nulla poterit. "Quae ergo, inquit, Tullius (*De fato c. 10.*) nova causa in natura est, quae declinat atomum? aut num sortitur inter se, quae declinant, quae non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinant uno minimo, non declinant duobus, aut tribus? optare hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri, et declinare dicit: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causae, cur ea non e regione ferretur, nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quam ob rem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita, cum attulisset nullam causam, quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur: cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur, et respiciunt. Veritas haec majorem in luce ponitur, cum animum advertimus ad elegantissimam mundi totius conformationem, ad status, universalesque naturae leges, quibus machina haec universa tot jam saeculi regitur, quae sanae mentis sibi persuadeat, casu, et fortuna effici posse, ut eadem leges tot saeculorum decursu in conflictu corporum, in generatione animalium, in nidificatione avium, aliisque naturalibus belluarum artificijs, et constanter, et accuratissime observentur; unde deinde mens, intelligentia, ratio, quae in quibusdam hujus universi entibus deprehenduntur? rursus ex fortuito atomorum concursu? at vero secundum Epicurum eae ipsae intellectus, et ratione carent; quomodo ergo dabunt, quod ipsae non habent; nullum in mundo posse esse motum, nisi atomi ex natura sua eum haberent, fateatur ipse: quomodo ergo in mundo sensus, intelligentia, ratio, cum his illae destituantur? Vide quoque Denesle (*Exam. du materialisme to. 10. e. 5. 6. De nat. rer. l. 5. v. 105.*). Denique qui fit, ut praesens atomorum concorsio tanto perduret tempore, cum infinitae aliae brevissima intra tempus rursus dissolutae fuerint? Brevi quidem, et casu interitum praedixerat Lucretius; sed, bo-



nis superis vaticinationi eventus nondum respondit. Profecto, si communem naturae sensum firmissimum veritatis argumentum (log. §. 172.) consulamus, facile sentimus nos tacito naturae ductu impelli, ut iudicemus, fieri nequaquam posse, ut opus quoddam, quod constantes, aequabilesque motus longo tempore edat, casu originem suam debeat. Audiamus rursus Tullium (*De nat. Deor. l. 2. c. 37.*) "Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuasit, deat, corpora quaedam solida; atque individua vi, et gravitate ferri, mandumque efficit ornatisimum, et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuito? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet; si innumerabiles unius et viginti quatuor litterarum vel aureae, vel quales libet, aliquo coniciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possent, effici; quod nescio ane in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum asseverant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam *tristitia* graeci vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere, atque casu mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alio nasci, alios interire? Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa, et multo quidem facilliora? certe ita temere de mundo esultant, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur".

Verum praesens rerum conformatio, clamant profani homines (*Pensées philos. p. 66. Item Lettre des aveugles.*), continetur in infinitatis conformacionibus possibilibus; igitur aequae possibilis est, ac probabilis, ut quaevis alia, immo in infinitate saeculorum etiam necessaria; omnes enim conformaciones exhaustire aeternitas debet. Sed futile omne, quod asseritur; imprimis enim ne unam quidem conformacionem fortuito atomorum concursu confieri posse supra demonstratum est, ob aequalem nimirum omnium motum velocitatem, et directionem. Deinde missis his; conformatio ordinata, qualis praesens est, generalibus adstricta legibus tantoque saeculorum spatio suo in ordine persistens nequaquam in infinitis conformacionibus caecis, ac inordinatis continetur: quare posito id genus temerario atomorum concursu in infinitis conformacionibus caecis, et inordinatis nunquam ad finem perventum fuisset, atque ideo etiam nunquam initium dari potuisset conformacioni eandem ordinatae sapientissimisque instructe legibus. Hinc lata est disparitas, cum dicitur; si infinitae aetate per infinitum tempus infinites projicerentur, omnes numerorum compositiones proditurae, eae nimirum numerorum compositiones prodirent, quae per casum sunt possibiles; ac hujus universi conformatio per casum possibilis non est, longe enim est admirabilior, majoremque requirit sapientiam quam omnes doctorum locubrationes, quae sine intelligentiae conspiciam directione fieri absolute nequeunt.

Nec plus promovent illi, qui, cum finitum ponant atomorum numerum finitas quoque esse earum concociationes contendunt, indeque colligunt, ob infinitatem temporis jam infinitas redire debuisse praesentem hanc atomorum concociationem (*Teor. phil. nat. app. de anima, et Deo §. 54. seq.*). His respondit Boetivichius: "Falsissimum est, numerum combinationum esse finitum in terminis numero finitis; si omnia, quae ad mundi constitutionem necessaria sunt perpendantur. Est quidem finitus numerus combinationum, si nomine combinationis assumatur tantammodo ordo quidam, quo alii termini post alios jacent: hinc ultro agnosce illud: si omnes litterae, quae Virgilii poema componunt, versentur temere in sacco aliquo, tum extrahantur et ordinentur omnes litterae, alias post alias, atque ejus modi operatio continetur in infinitum, redituram et ipsam combinationem Virgilianam numerum vicium quonvis determinatum numerum superante. Ad ad mundi constitutionem habetur imprimis dispositio punctorum materiae in spatio patente in longum, latum, et profundum: porro rectae in uno plane sunt infinitae, plana in spatio sunt infinita, et pro quavis recta in quovis plano infinita sunt curvarum genera. -- Quam ob rem numerus dispositionum possibilium pro quovis puncto materiae adhuc ceteris manentibus est infinitus, adeoque in numerus ex omnibus mutationibus possibilibus est infinitus ordinis expositi a numero punctorum aucto saltem ternario. Iterum velocitas, quam habet dato tempore proutque velox, potest variari in infinitum, et directio motus, potest variari in infinitum ordinis secundi ob directiones infinitas in eodem plano, et plana infinita in spatio. Quare cum constitutio mundi, et sequentium phaenomenorum series pendeat ab ipsa velocitate et directione motus; numerus qui exprimit gradum finitum ad quem assurgit numerus casuum diversorum, debet multiplicari ter per numerum punctorum materiae. -- Quam ob rem numerus combinationum relativarum ad mundi constitutionem non est finitus pro dato quovis momento temporis, sed infinitus ordinis altissimi, respectu infiniti ejus generis, cujus generis est infinitum numerum punctorum spatii in recta quapiam, quae concipiatur utriusque in infinitum producta. At huc infinito est analogum infinitum momentorum temporis in tota utraque aeternitate, cum unicam dimensionem habeat tempus. Igitur numerus combinationum est infinitus ordinis in immensum altioris ordine infiniti momentorum temporis, adeoque non solum non omnes combinationes non debent redire infinitas; sed ratio numeri earum, quae non debent, est infinita ordinis altissimi, quam minimam exponit quarta potentia numeri punctorum aucta saltem binario. -- Quam ob rem nullum futile ejusmodi, atque inane argumentum. Sed simile etiam illud eruitur, in immenso combinationum numero infinitas esse plures pro quovis genere combinationis inordinatas, quae exhibeant incertum chaos, et massam temere volitantium



"punctorum quae exhibeant mundum ordinatum, et certis con-  
stantem perpetuis legibus."

MATERIA MUNDI NON EMANAVIT DIVINA SUBSTANTIA.

XXIII. *Materia mundana non est orta per emanationem ex ipsa substantia divina.* Si materia mundana emanasset ex ipsa substantia divina, tum materia mundi vel esset formaliter ipsa substantia divina, vel quaedam ejus particula, vel denique ex ipsa quocumque modo orta; atqui omnia haec evidenter absurde sunt: quod illi placeat, qui exemplo aranei telae materiam e sinu educentis hac in re utuntur, necnon et alterum pugnat cum simplicitate, et unitate, quae competit enti necessario, et infinito (ont. §. 124. 174. 234. 238.), quod Deus est; materiam enim mandanam non una, sed plures substantiae constituunt, cum mundus sit ens compositum (§. 8.). Ultimum vero falsum esse inde patet, quod nec unum quidem ens simplex ex alio ente simplice oriri possit (ont. §. 184.: inde quippe clarum est, ens compositum, quod ex multis entibus simplicibus coalescit (ont. §. 177.): ex ente simplici multo minus oriri posse: igitur materia mundana non est ex Deo per emanationem orta. *Diss. de creat. ex nihilo*).

*Schol.* Impia haec opinio non multum remota videtur a Pantheismo, quem infra refutabo: in ejus defensoribus numerat Moshemius Orpheus, Hesiodum, et Pythagoraeorum plurimos; bis ex schola juniorum Platoniorum adjungit Plotinum, Porphyrium, Jamblychum, qui propalam doctissime feruntur, mundum ex ipsa divina natura ab aeterno fluxisse, ac divinae idcirco essentiae partem quemdam esse. Idem de origine, quem vanis horum philosophorum commentis nimirum abreptum fuisse constat, ut testantur Methodius apud Plotium, et Huetius (*Bibl. cod. 235. p. 934. In Origen. l. 2. c. 12. §. 14.*).

MUNDUS EST CREATUS.

XXIV. *Mundus hic ortus est per creationem.* Nec mundus, ut series entium connexorum (§§. 14. 18.): nec materiam mundana a se, et absque causa sufficiente aeternum existit (§. 19.); nec denique ista ex divina substantia emanavit (§. praec.): igitur quidquid ad mundum pertinet, ita nunc existit, ut ante sui productionem nihil prorsus illius extiterit: sed quod tale est, oritur ex nihilo, idque fit per creationem (ont. §. 180.): ergo mundus hic ortus est per creationem.

*Coroll.* Cum, uti in theologia docebitur, vis creandi aliquid soli Deo competat, patet mundum a Deo creatum esse, et ab ipso solo ut effectore pendere, atque inde iam certam esse Dei, quam mundi existentiam.

*Schol. 1.* Nec quemquam moveat, quod modum actionis creativae finitudo nostro intellectu distincte concipere nequeamus: non enim factum, quod aliunde certo constat, propterea negari potest, quod modus, et ratio illius ignoretur (conf. ont. §. 148. sch. 2. n. 4 fin.).

Id si animadvertisset auctor pestiferi libri Telliamed inscripti, vero nomine D. de Maillet, non tam audacter creationem materiae negasset eo potissimum ex capite, quod illa captum humanum exsuperet (*Tom. 2. p. 69.*). Sed quod addit, mirandum amplius: praestantissimos, rerumque physicarum insigniter peritos fuisse, qui absolute demonstraverunt, materiam in nihilum redigi nequam posse loculento sane argumento, eam creari quoque nequissime, mirandum inquam; in re siquidem tanti momenti et rationes eas invictas, et praeclarorum virorum nomina singulatim edicere oportuisset. Sed neque majus nobis fecisset negotium effatum illud ab omni retro antiquitate usurparum, *ex nihilo nihil*. Ansant quidem turpissimi hac in re erroris scitum istud omnibus Ethnicorum philosophis praebuit; dici enim vere potest, omnes univ. versim illo alienum in sensum detorto impulsos creationem ex nihilo sustulisse, si unus dematur Hierocles cum paucis assectis ex Platoniorum juniorum familia, qui saeculo tertio veram sententiam a Christianis, quibuscum frequentibus congressus fuerat, acceptam suae insuerit philosophiae. Nec quidquam momenti habent ea quae Cudworthus (*Syst. intell. c. 5. sect. 2.*) ad pergandos ab hac labe philosophos veteres attulit, ut in accuratissimis adnotationibus palam fecit Moshemius et aliunde evolventi opus laudatum facile patet, nimio veterum praecepta cum verae religionis dogmatibus conciliandi studio abreptum visum fuisse doctissimum; indeque evenisse, ut non raro eorum sententias alienam plane significationem subjecerit. Verus porro sensus dicti enunciati: *ex nihilo nihil fit*, est omnino multiplex, ut eodem in loco Cudworthus monet; 1.) nihil est sine causa efficiente; 2.) nihil se ipsum producit; 3.) nihil per vires naturales ex nihilo educi, ant in nihilum redigi potest; 4.) ex nihilo tanquam materia nihil fit, quo non efficitur, ut nihilum nequeat esse terminus a quo; 5.) nihilorum additione nihil obtinetur. Atque omne hic sensus, ut per se clarum est adeo creationem ex nihilo non impugnat, ut eam etiam quam maxime stabiliant; certe qui vel mundum ipsum, vel ejus materiam improproductam statuunt, hoc axiomate refutantur: in priori enim opinione series infinita entium contingentium absque causa efficiente: in posteriore mens, intelligentia, ratio ex nihilo prodixisset.

QUAE CONTROVERSA DE TEMPORE CREATIONIS.

*Schol. 2.* At nondum tota de mundi ortu controversia hic terminatur; quaerunt nonnulli, utrum mundo, tamen creato aeternitas quaedam communicata competere possit, aut fortasse reapse competat seu ut clarius loquamur, utrum Deus creaverit mundum ab aeterno, aut saltem creare potuerit? qua quidem in questione quod a d. priorem partem attinet, philosophis Christianis ob sacram litterarum auctoritatem nullum dubitandi locus relinquitur; in altera vero sententiae non congruit; multi tum ex peripateticis, tum ex recentioribus, ut Suarius, Derlelius, Winklerus omnino arbitrantur



potuisse mundum ab aeterno creari, neque pugnare aeternitatem cum creatione entis: alii contra et longe plures id fieri haud quamquam posse definite pronunciant: horum opinio ad veritatem propensor videtur.

QUOD CREATUR ALIQUANDO NON FUIT; QUOD AETERNUM EST SEMPER FUIT.

XXV. *Si mundus creatus est, aliquando non existit.* Si mundus creatus est, tunc productus est ex nihilo, et translatus de non esse ad esse (ont. §. 180.), sed quod ex nihilo productum, et de non esse ad esse translatus est, aliquando non habuit esse, seu aliquando non existit: si mundus creatus est, aliquando non existit.

XXVI. *Si mundus aeternus est, semper existit.* Si mundus aeternus est, tunc mundus nec initium, nec finem existendi habere potest; est quippe aeternitas utriusque infinita (ont. §. 212.); sed quod nullum initium, nec finem existendi admittit, semper existit, si nimirum vel aliquando existat: ergo si mundus aeternus est, semper existit.

INDE REPUGNAT MUNDO CREARI AB AETERNO.

XXVII. *Mundum creari ab aeterno absolute repugnat.* Absolute repugnat, ut mundus semper extiterit, et aliquando non extiterit (ont. §. 37.); sed si mundus creatus fuisset aliquando non existisset (§. 215.) et si simul esset aeternus, semper existisset (§. praec.): ergo mundum creatum, et aeternum esse, seu mundum creari ab aeterno absolute repugnat.

Coroll. Cum igitur mundus productus est, initium existendi habuit; eaque propter dicimus mundum creatum esse et in tempore, et cum tempore: in tempore nimirum imaginario; cum tempore reali (conf. ont. §. 224. sch.).

Schol. Miro prorsus argumento utitur Winklerus (Cosmol. §. 510.), quo opinionem contrariam stabilit: fieri posse ait, ut aliquid creatur ab aeterno, propterea quod *omnes ex nihilo omnino temporis experti est*, quasi vero id in quaestione versaretur, utrum creatio tempore indigeat? nemo sane eam momento individuo absolviverit. Verum per hoc quaerent: an mundus creatus aeternus esse possit; minime satisfact: hoc nempe loco ostendendum erat, aeternitatem cum creatione entis non pugnare, posseque ens, quod per creationem existentiam adipiscitur, initio existendi carere. Sed et alia sunt, quae adversae partis patroni proferunt; his jam respondebo.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

1.) Ajunt, Deum absolutam naturae suae necessitate voluisse existentiam mundi, unde consequens esset, ut mundus aequae, ac ille, aeternus sit; assertum probant: Deus absoluta naturae suae necessitate cognovit possibilitatem mundi: ergo eadem necessitate ejus existentiam voluit; cons. p. Ideo primum: quia intellectus divinus est potentia necessaria; sed etiam voluntas est similiter necessaria; igitur si illud, etiam hoc.

R. Assertum veritati nequaquam consentaneum est; unde ad prob. c. ant. n. con. Deinde c. M. quia intellectus est potentia necessaria quod omnes suos actus, c. M. quoad aliquos tantum. n. M. sic d. M. voluntas Dei est necessaria quoad actus internos, c. M. quoad actus aeternos, n. n. et con. Cum Deus sicut ens infinitum, nequit aliud obiectum necessarium suarum operationum habere nisi pariter infinitum, id est, se ipsum igitur necessario cognoscit, ac in se necessario videt suam omnipotentiam, quae cum possibilitate omnium entium tamquam cum suo termino connectitur; unde in sua omnipotentia eadem necessitate cognoscit omnia possibilis. Deinde se ipsum, utpote hominum infinitum, necessario amat, quod ad voluntatem pertinet, quatenus illa agit ad intra, ut ajunt theologi. Quod autem ad ea, quae Deus extra se agit, spectat, non eodem modo se habet ejus voluntas; est enim liberrima, ut aliquid, vel nihil, hoc vel illo tempore procreare decernat. Et ratio est: quia 1. Deus se ipso beatissimus, ac perfectissimus est: nec ulla re extra se existente eget. 2. res extraneae non continent bonitatem infinitam, qua ipsum in sui amorem necessario reperent: 3. nec denique ex rerum procreatione, aut existentia quidpiam felicitatis, voluptatis, commodi, aut gloriae internae eidem accessit. Accedit, quod si Deus non cognosceret omnia possibilis, non polleret intellectu infinite perfecto, cum ad hoc requiratur, ut actu cognoscat, quidquid cognosci potest; possibilis autem entium sit quoque obiectum cognoscibile. Contra habet Deus potentiam infinite perfectam, si modo possit efficere, quicquid est possibile; neque enim ad conceptum omnipotentiae pertinet actu omnia possibilis efficere; ut alias dictum est (ont. §. 36. cor. 2.).

Deus ab aeterno habuit potentiam creandi mundum; mundus item ab aeterno fuit habilis ad existendum; ergo nulla est repugnantia in eo, ut mundus creetur ab aeterno. Hoc fore recidit argumentum Dariosii (Theol. nat. s. 2. c. 2. §. 123.). Addunt alii: potuit mundus a Deo creari ante omne tempus, imaginarii nimirum, momentum distributive sumtum: igitur etiam potuit creari ante omne tempus imaginarii momentum collective sumtum, quo casu aeternus foret.

R. d. ant. ac id utrumque cum initio existendi, c. ant. sine initio existendi, n. an. et con. Cum creatio sit productio rei ex nihilo, seu ejus translatio de non esse, ac proinde necessario exigat, ut res, quae creatur, ante non extiterit, tumque, cum creatur, existere incipiat, Deus a tota aeternitate non habuit aliam potentiam creandi mundum, quam eam, quae efficere possit, ut mundus per creatio: nem initium existendi obtineat; neque mundus a tota aeternitate aliter habilis fuit ad existendum, quam cum aliquo existentiae initio. Nihil igitur seu ex potentia Dei, seu ex habilitate mundi, licet utraque aeterna, colligi potest pro aeternitate mundi. Quod autem ad alterum, manifesta est dispar ratio: in priori siquidem casu nulla prorsus contradictio latet; nam potuisse mundum ante quod-



vis temporis momentum distributive sumtum condi aliud non sonat, quam in tempore imaginario infinito nullum momentum assignari posse, ante quod non potuisset mundus a Deo effici, ita nempe, ut in illo habuisset initium existendi, quod adhuc infinita momenta antecessissent. At vero in posteriori aperta est repugnantia; qui enim ponit mundum potuisse ante omne temporis momentum collective sumtum creari, hoc ipso mundum creatum expollat initio coexistenti, quemadmodum omne temporis momentum collective sumtum, id est, totum tempus imaginarium, quod infinitum est, initio destituit. Neque obest, quod mundus creatus possit durare in aeternum; ad creationem enim, et ad naturam effectus creati nihil refert, diuine, an brevi duret, sed tamdiu durat, quamdiu conservatur: verum creatio, cum siteductio rei ex nihilo, absolute requirit, ut effectus creatus habeat initium existendi; unde mundus creatus non potuit similiter durare ab aeterno.

3.) Causa efficiens noquaquam tempore, sed natura solum praecedit suum effectum (ont. §§. 139. 140): igitur si causa efficiens est aeterna: etiam effectus poterit esse aeternus: atque Deus est causa efficiens aeterna: ergo et mundus poterit esse aeternus.

R. d. ant. Causa efficiens *formaliter* sumta non tempore, sed natura solum praecedit effectum *c. ant.* Causa efficiens *materialiter* sumta, saltem semper, *n. ant.* (vid. §§. laud.) Tum *d. cons.* ergo si causa efficiens *materialiter* sumta est aeterna, etiam effectus potest esse aeternus, *n. cons.* ergo si causa efficiens *formaliter* sumta est aeterna, potest etiam effectus esse aeternus, *subd.* hanc partem: si ea causa aeterna sit simul efficiens *pro aeterno*, *cons.* si sit solum efficiens *pro tempore*, *neg.* hanc partem: denique sic *d. m. subs. n. cons.* Causam in se et *materialiter* spectatam posse tempore prius existere, quam effectum, dictum est in ontologia; quin id imprimis in omnibus causis creatis necessario evenire nihil certum videtur; quomodo enim causa eo ipso momento individuum, quo ipsa producit, jam agere possit? profecto actio causae productae concipi nequit, nisi ut reapse consequens actionem, qua ipsa producit: quodsi vero ita; jam adest successio, ac proinde tempus. Deinde de causa increata, sive Deo efficiente effectum a se distinctum res est multo magis manifesta; cum enim Deus nullum existendi initium habere possit, id vero, quod ipsius voluntate de nihilo ad aliquid; de non esse ad esse transferitur, necessario initium existendi habere debeat, necesse quoque est: ut ipse revera ante omnes effectus a se creatos existat. Quod addidi, Deum esse causam efficientem aeternam quidem, sed non pro aeterno, paulo post illustrato. Interea hic probe notari velim, me impossibilitatem creationis ab aeterno immediate, et per se nec ex notione causae efficientis, nec ex notione effectus, nec ex notione dependentiae effectus a causa; sed ex sola notione creationis, quae productio rei ex nihilo est, collegisse: unde, quidquid de his sit, nihil omnino efficiat adversarii, donec palam fecerint, in notione crea-

tionis initium existendi non includi. At jam profertur quidpiam?

A.) Creatio, inquit, sensum disjunctivum continet: ita ut vero sensu creatum dicatur omne illud, quod aliquando vel reipsa fuit nihil, vel tantum fuisse nihil, si non fuisse creatum; hoc autem positum jam necesse non est, ut, quidquid creatur, initium existendi actu habeat. Et quid vetat, adjungunt alii, ut creatio definiatur per *productionem entis per se non existentis?*

R. Quia ita ratiocinantur, duas res maxime diversa imperite confundunt creationem nimirum, et conservationem, quae tamen compuni philosophorum suffragio discernenda sunt. Nimirum actio Dei, quae existentiam entis a se distincti efficit, vel tendit in ens existens, vel in ens non existens: medium certe non datur: haec *creationis*; illa *conservationis* nomine venit. *Creare* itaque est efficere, ut id, quod nondum existit, existentiam acquirat; *conservare* est efficere, ut id, quod jam existit, existentiam porro continet, ex quo simul patet, conservationem alecujus entis praerigere creationem illius, quam ob rem definitur esse *continuitas creatio*. Si igitur mundus numquam reapse fuisse nihil, numquam fuisse creatus, sed perpetuo conservatus a Deo, et vel hoc ipso simul non conservatus, quia nulla praecessisset creatio, quod novam repugnantiam involvit. Quod vero ad definitionem creationis supra allatam attinet, puto eam omnino vitiosam esse: primum quidem, quod non solum ultima verba otiose adjecta sunt (quis enim ignorat ens per se existens non produci); verum etiam quod eadem verba sensum valde dubium continent, videntur certe innuere, productionem generatim acceptam in duas speciem (in productionem videlicet entis per se existentis, et in productionem entis per se non existentis) legitime tribui posse. Ita exempli causa, cum dico: *generatio est actio, per quam ens compositum oritur*: utique tacite innuo dari quoque aliam speciem actionis; per quam ens simplex oritur. Atque hujus rei ratio est, quod omnis legitima definitio genus proximum postulat (§. 87. sch. 2. l. 3. log.). Deinde ea definitio latior est suo definito contra (§. cit. l. 2.) ; convenit enim eadem plane ratione etiam generationi. Profecto quoties aliquid generatur, toties producitur ens per se non existens. Pone ab artifice ex partibus ante fabricatis per earumdem nexum demum horologium confieri: nonne ajes horologium (ens utique per se non existens) produci? Denique missis hic sic arguo. Productio entis (adde, si placet per se non existentis) vel est productio entis jam antea existentis, vel non existentis. Si primum non est productio; nam productio est actio, per quam ens oritur, quod vero jam existit, non oritur. Si alterum: tum rursus productio ista vel est productio entis prorsus non existentis, vel est productio entis solum quoad se (non tamen quoad partes) non existentis; si istud: haec productio dicitur generatio; si illud: creatio. Atque inde manifestum fit, unicam legitimam definitionem creationis esse hanc: *productio entis ex nihilo*: nec cogitari posse aliam.



5) Deus ab aeterno voluit mundum; ergo mundus est aeternus. Et certe posita ratione sufficiente ponitur rationatum; sed voluntas Dei, quae est ratio sufficiens mundi existentis, posita est ab aeterno: ergo etiam mundus positus est ab aeterno.

R. d. ant. Deus ab aeterno voluit mundum *pro tempore*, c. ant. *pro aeterno*, n. ant. et cons. Ad alterum rursus d. M. posita ratione sufficiente ponitur rationatum, eo nempe momento, pro quo ejus existentiam ratio sufficiens exigit, c. M. statim eo momento, quo ipsa existit, *subl.* si illa ratio non respiciat aliud determinatum momentum, c. M. si respiciat, n. M. sic d. m. n. cons. Deus ab aeterno decrevit mundum condere; at ita, ut ille certo temporis momento initium existendi capiat: primum: quia quidquid vult, ob suam immutabilitatem ab aeterno vult; alterum; quia nequit velle contradictoria: est autem ideo dicimus Deum ab aeterno, verum non pro aeterno, sed pro tempore voluisse mundi existentiam. Idem accomodandum est ad id, quod additum fuit nempe voluntas Dei non est aliter ratio sufficiens existentiae mundi, quam quatenus ea ab aeterno respexit determinatura temporis momentum, quo mundus existere incipiat, atque ideo is nec antea existere, nec aeternus esse debuit. Nihil igitur contra stabilitam alias de principio rationis sufficientis doctrinam admittimus. Ceterum argumentum ab aeterna Dei voluntate petium nimum, adeoque secundum prevulgatum axioma, nihil probat; sequeretur enim omnem rerum successionem absolute repugnare, ac omnia, quae Deus ab aeterno voluit, simul coexistere debere.

6) Si Deus voluisset mundum in tempore, fuisset mutatus; igitur etiam mutatus est, cum creavit mundum in tempore; id autem pugnat cum infinita ejus perfectione. Sicut nimirum in priori casu ex non volente factus fuisset volens; ita in posteriori ex non creante factus est creans.

R. c. ant. n. cons. Si Deus in tempore aliquid vellet, quod ante non voluit, mutaretur ipsius status internus; istud enim in ipso argueret aliquam ignorantiam vel rerum ipsarum, vel motivorum, aut incostantiam, et quamdam animi levitatem, quae omnia de infinita illius perfectione plurimum detraherent. Contra cum Deus in tempore mundum creavit, nihil illi ad statum internum pertinens aut accessit, aut decessit; cum enim id ab aeterno jam constituerit, solum relationem quampiam, et externam creatoris denominationem per novam mundi in tempore existentiam obtinuit. Omnis igitur vera mutatio, quae hic contingit, se tenet ex parte rei creatae, quae existere incipit; ipsum autem illud voluntatis imperium, quo hoc efficitur, jam ab aeterno in Deo inerat: nondum tamen dici poterat creator, quia ad relationem completam necesse est, ut non modo ejus subiectum, sed et terminus realiter existat. Nec obest, quod denominatio creantis referatur aliqua ratione ad operationem omnipotentiae, quae est perfectio Deo interna; nam ipsa

haec operatio omnipotentiae involvit terminum externum, rom nempe creandum, estque de ea, sicut de voluntate Dei ratiocinandum. Quidquid in hac operatione ex parte omnipotentiae, atque ipsius Dei se tenet, id perpetuo erat in Deo, quod vero pertinet ad terminum, id in tempore contingit, id est, terminus, seu mundus ab omnipotentia effectus in tempore existere incipit. Sicut igitur Deus ab aeterno voluit mundum pro tempore per suam voluntatem; ita eundem ab aeterno pro tempore per suam omnipotentiam operatus est; et sicut nec ob aeternam Dei voluntatem mundus aeternus esse debuit, nec per novam in tempore mundi existentiam illius voluntas mutata est: ita nec ob aeternam omnipotentiam operationem mundus aeternus esse debuit, nec per novam mundi existentiam omnipotentia mutationem passa est. At, inquis, quis inusitatus hic operandi modus? verum cogita, Deum non fore Deum, si tu intelligentia tua arcis nimum constricta limitibus infinitis ejus perfectiones, et perfectissimum agere modum comprehendere posses. Atque inde patet quid respondendum sit captiose quaerentibus, utrum Deus ab aeterno reipsa, et actu fuerit mundi opifex, an solum in potentia? Utrumque nemo fuit, sed diversa plane ratione, actu fuit mundi opifex spectata ratione interna, quae in aeterno voluntatis decreto, et in aeterna pariter omnipotentiae operatione consistit: in potentia vero spectata ratione externa, ob quam est, et dicitur mundi opifex, quaeque aliud non est, quam ipso mundus ob aeternum voluntatis decretum ac aeternam omnipotentiae operationem ex nihilo prodians. Non tamen propterea revera mutatus est; non enim alio sensu *ex potentia in actum*, transivisse dicens est, quam quod relatio realis ad res creatas per realem mundi existentiam completa fuerit.

Ad extremum ajunt cum Epicuro: cur igitur Deus tanto tempore ferriatus est? Cur non citius mundum condidit? vel non potuit antea, arguatur profanus auctor, vel non voluit (*Lettres Persannes, lettre 57.*)? Si non potuit: numquam potuisset postea, si non voluit, eccor deinde voluit? Et si aliquando voluit, semper voluit, cum in ipso volitionum successio nulla detur. Verum negae haec sunt: voluit certe Deus semper, sed non pro semper; ac cur pro hoc potius, quam alio tempore? Quia id a liberio ipsius arbitrio petebat. Certe quodcumque statuas tempus, statendum autem necessario est ali quod, cum creatio ab aeterno repugnet, semper redibit eadem quaestio, quam non enodabis nisi recurrendo ad summam Dei libertatem. Haec de tempore imaginario mundi ortu antecedente: quod si de reali quaeras, respondebo cum Mosheimio (*In Cudov. syst. intell. c. 5. s. 6. 22. not. 2.*): "Nullus cum sit temporum ordo in aeternitate, stultum, et ineptum est seiscitari, cur hoc potius, quam alio tempore supremum Numen hanc rerum universitatem construxerit? Quod qui sibi vult explicari, is priore rationem sibi reddi cupit, quam obrem tempus non fuit, antequam esset tempus: quod merito absurdum, et infectum dixeris".



## De Fato.

## QUID FATUM?

XXVIII. *Fatum* proprie dictum est necessitas absoluta, et immutabilis, quae omnium rerum contingentiae, ac libertati adversatur.

## QUAE DIVERSAE DE BO VERUM OPINIONES?

*Schol.* Nihil fato pervulgatum magis apud veteres; sed nihil etiam obscurius: multi eo ad libertatem tum humanam tum divinam prodes tollendam abusi sunt; alii id cum utraque optime conciliari posse arbitrabantur. Vide *Cassendum* (*Ethic. l. 3. c. 2.*). *Cudworthus* (*Syst. intell. c. 1. §. 1.*); omnes fati assertores in tres potissimum classes distribuit: primam illi tenent, qui Deum res omnes, nulla motuum voluntariorum ratione habita, aeterna, ac immutabili lege sanxisse docent, unde consequens foret nihil a nobis libere suscipi posse; alteram illi, qui Deum fataliter, ac necessario agentem res hujus universi omnes generatim disposuisse, ac descripsisse opinantur, quae generali constitutione facta omnia quae in orbe eveniunt, ex concatenata quadam causarum serie proficiscerentur; tertiam denique: qui sublato Deo physicam quamquam rerum omnium necessitatem statuunt, quam Epicurus *τηντι φυσικαν αναγκην, physicorum fatum* appellabat rectius dixisse *την αυτων*. Tum in altera harum classium repomt Stoicos, ac praecipue Zenonem, et Chrysippum, sed fugisse videtur virum doctissimum, quod de Chrysippo tum *Tullius* (*De fato c. 17. seqq.*), tum *Aulus Gellius* (*Noct. attic. l. 6. c. 2.*) testantur: cum ex fato excepisse voluntates humanas, easque docuisse et liberas esse, praemium, poenaeque propterea mereri posse. Idem de Platone *Plutarchus* memoriae prodidit (*De plur. phil. l. 1. c. 27.*): “Plato, inquit, fatum quidem in hominum vitas, et actiones introducit, sed et voluntatis libertatem cum eo conjungit”. In quod *Aleixius* uberius declarat (*Introd. in doct. ind. Plat.*): “Omnia in fato sunt, ait *Plato*, sed non omnia fato decreta sunt; fatum enim cum sit legis instar, non tamen ita agit, ut verbi gratia dicat hunc hoc facturum, illi rursus hoc eventurus esse; sed sic potius: quae cumque anima talem vitam elegerit et ejusmodi egerit, haec consequentur”. Interea tamen, observante *Moshemo* in *Cudworthum* (*Loc. cit.*), multa *Plato* alias statuit, quae aegerrime esse potest veteres illos conciliari possunt: quod nobis documento esse potest veteres illos philosophos non semper cohaerentia inter se protulisse, et frequenter dogmatum suorum consecratia haud pervidisse; quo fit, ut raro, quid vere censorint, ad liquidum deduci possit. Restat et alia fati acceptio et *Platoni*, et aliis pluribus usitata: Denm nimirum supremum hoc vocabulo denotare ipsis solemne fuit. “Interdum”, *Deum*, ait *Cicero* (*Og. acad. l. 1. c. 7.*), necessitatem appellant;

quia nihil aliter possit esse, quam ab eo constitutum sit, inter, quasi fatalem, et immutabilem continuationem ordinis simpliciter.” Auctor libri de mundo alias *Aristoteli* adscripti diserte ait (*c. 7.*), “Deum *ἀναγκην* vocari, ut quis sit res immutabilis *ἐπιμακροτέρων*”, vero, ut qui conjungere omnia, et continere nullo impediendo valeat”. Res haec in *Stoicorum* scriptis vel mediocriter versato ignota esse non potest; nominatim de *Panaetio*, et *Posidonio* *Plutarchus* et *Stobaeus* de *Platone* *Proclus*; de *Heraclito*, quem alii atheis adnumerant, *Livius Galantes* testantur; consulti quoque possunt duae eruditissimae dissertationes *Gothofredi Olearii* “de rerum genesi, et de igne rerum omnium principio ex mente *Heracliti*”, quae in versione latina historiae philosophicae a *Stanlejo* adornatae extant. Sed quamquam fatum adeo universae, licet non eodem sensu, a philosophis fuerit adoptatum, nonnulli tamen illud cum risu exposerunt: horum agmen duxit *Anaxagoras* acerbe propterea ab *Alexandro Aphrodisaeo* reprehensus: “nihil eorum, aiebat, quae fiunt, fato fieri, sed hoc inane vocabulum esse (*Lu de fato.*)”. Jam praecipua fatorum genera nominatim persequar, ubi rursus occasio se offeret de diversa fati significatione discernendi.

## QUID FATUM DEMOCRITI.

XXIX. *Fatum Democriti* est *ἀναγκην ἀλικην*, necessitas materiae, quae fit, ut omnia cum absoluta necessitate existant: quae necessitas ex profano atomorum systemate supra (§. 20. sch.) exposito per se sequitur. Est enim rapidissimus ille atomorum motus, quem *ἀναγκην* id est necessitatem *Democritus* compellat, a causa ortus omnium rerum: haec necessitas ipsi fatum est, et justitia, et providentia, quae mundum condidit aequae, ac gubernat, quaeque aliud non est quam *resistentia, latio, et percussio* materiae. Vid. *Laertius* (*De vit. Phil. lib. 9. segn. 44. 45.*), item *Stobaeus* (*Eclog. phys. c. 8.*).

## QUID FATUM EPICURI?

*Schol.* Etsi *Epicurus* idem atomorum systema adoptavit, istud tamen fatum probare noluit (*Histor. phil. l. 2. c. 6.*); ipsi enim fatum, quod ex *Laetio*, *Cicerone*, et *Cassendo* apud *Stanlejum* discimus, aliud non fuit, quam nexus quidam causarum posteriorum cum prioribus, quem tamen eam necessitas, quam physici inducere volebant, haud quamquam comitaretur: id genus quippe necessitatem abrumpendam opinabatur, a motu declinationis atomorum, qui nec certo tempore, nec certa loci regione eveniret. “Hanc rationem (declinationem nimirum atomorum) *Epicurus* induxit ob eam rem, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali, ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogereetur (*Cic. de fato c. 10.*)”. Injuria igitur in libertatis hostibus a quibusdam numerat *Epicurus*, quin et apertius alias liberum arbitrium, seu eligendi facultatem tum experient-